

de plebe Domini, de grege Christi et peculo salvatoris ferine crudelitatis inmania predicare.

Proch dolor! sileamus abhominabile, conticeamus horrendum, qualiter E.¹ de Romano², nobilis marchie Tervisine, matris sue latera non ante partum³ quasi vipere filius, sed post partum quasi vipera senior laniaret. De terra clamat ad Dominum, et ad nos de terra vociferatur fluvius sanguinis occisorum, rugitus terre illius in spiritu vehementi, dum incubi superiacentis gravata pressuris, delicatis eius vias asperas ambulantibus⁴ suffocatur et filiorum sanguinem bibere cogitur, eciam ante tempus ministrante degenerare filio et trucidante gladio propinatum. Iacet coronis decalvata nobilium, plorat in turbine de paucitate plebis, que dilatabat cor suum in multitudine populorum. Homo peccati, filius perdicionis stravit omnia desiderabilia eius, abiecit ministrande fidei christiane pastores, templa divine placacionis, oracionum domos a cultu celestis misterii spoliavit, lavat in sanguine manus suas, et guttur eius, sepulcrum patens, devorat carnes flencium et insaciabili corde in ardore sitis potatur cruoribus innocencium. In securi tyrannidis et ascia⁵ furoris eius senes cadunt, deiciuntur iuvenes, et in ruina propagantis nature virgines spem materne fecunditatis⁶ amittunt. Membra coherencia in structura ymaginis et similitudinis Dei⁷ miserabili divorcio separantur, filii mactare patres, et patres cedere filios, et proximus in proximum — o inaudita rabies! — occisionis gladium ad impetum concitati extendere compelluntur, et quod ingemiscens natura non patitur, hoc abhominacionis dominium exhortatur.

Ha Deus! ab auditu horum fremat cor omnium, rugeat omnis caro, quia ecce in loco tyrannidis illius mater et fecunda beatificat sterilem et que non parit, laudantur magis mortui, quam viventes, et utroque felicius nondum natus, dum sedet in cathedra pestilencie⁸, qui dissipat civitates, hostis utriusque sexus et universe etatis, rebellis nature, cuius eunuchizante gladio nititur impedire propaginem, vinculi naturalis, divine disposicionis et humani federis inimicus. Pereunt eciam non murmurantes ab exterminatore, traduntur in manus gladii oves occisionis⁹, mortuis invidentes et iam defunctis reliquie consepulte. Clamate ad Dominum et dicite Altissimo: Quare aspexisti

1) Ezzelin 111. 2) 'Domañ' Hs. 3) 'patrum' Hs. 4) Vgl. Baruc. 4, 26. 5) Vgl. Psalm 73, 6. 6) 'fecundatis' Hs. 7) Vgl. Genesis 1, 26 etc. 8) Vgl. Psalm 1, 1. 9) Vgl. Psalm 43, 22.